

ut merces vel bravium seu corona.) Tribuit enim Scriptura bonis operibus mercedem et quidem vitæ æternæ, bravium, coronam justitiæ, etc. eaque omnino requirit.

Resp. secundo, etiam opera illa quibus mere-
mur salutis consummationem non derogare quid-
quam meritis Christi, tum quia etiam ipsa sunt
dona Christi, a cujus meritis omnem merendi
vim accipiunt, sicut palmites a vite succum et
fructum: tum quia fundantur in mera Dei pro-
missione, non justitia dati et accepti, quia opera
nostra Deo multis aliis titulis debita, imo ipsius
dona sunt, nec ipsi ad quidquam utilia. Quid
quod Christi merita potius amplificantur per
merita nostra, quando illa tam potentia asseri-
mus ut operibus etiam nostris vim merendi dare
queant, sicut annulo ferreo magnes affricus vim
ipsi tribuit ferrum attrahendi, quam et ipse
habet.

Resp. tertio, adversarios sibi ex meritis Christi
perniciem struere, dum sibi persuadent non
esse necessarium ad salutem penitentiae et pie-
tatis operibus vacare, ex eo quod Christus nobis
vita et salus fuit. Sic olim Israelitæ, IV. Reg.
XVIII. æneum serpentem qui eis monumentum
esse debuit, quo excitati parentum suorum cog-
noscerent peccatum et impositum illis a Domino
supplicium ac tandem oblatam medicinam et
singulare in eis beneficium ut peccatum hor-
rarent, Deum diligenter, et magis essent in via
Dei constantes quam parentes fuissent, hunc
inquam serpentem colere pro Deo cœperunt et
adolere ei incensum, quasi in eo divinum quid
esset. Ita omnino hæretici abutuntur Christi
meritis, ut putent sibi per ea factam esse potes-
tatem et plenam libertatem ad peccandum et
quidvis mali audendum: qui potius Christo
grati esse deberent ob dimissa sibi peccata, et
in posterum cavere ne rursus Deum offendant,
sed peccata cane pejus et angue fugiant.

V. Calumniantur ab eo subripi laicis commu-
nionem calicis. Sed respondetur nihil illis sub-
ripi, quia nihil illis datum fuit. Nam etsi Chris-
tus instituit eucharistiam sub utraque specie,
non tamen præcepit omnibus usum utriusque
speciei, sed reliquit hoc dispositioni Ecclesiae.
Aliud autem est, aliud instituire, aliud præci-
pere. Matrimonium, ordo et plura alia a Deo
instituta sunt, non tamen præcepta. At licet ea,
quæ ad substantiam et essentiam sacramenti
instituti pertinent, tenenda et observanda sint,
si iis uti velimus: non tamen ea quæ extrinseca
sunt, circumstantiæ et accidentia. At Christum
sub externo symbolo panis aut vini accipi,
essentiale est eucharistiæ: sub duobus, acciden-

tarium; quemadmodum et id, vespere et post
cœnam accipi. Non præcepisse Christum ostendo.
Vel enim præcepit illo verbo: *Nisi manducaveritis
carnem Filii hominis et biberitis ejus sanguinem, etc.*
Joa. VI. vel illo: *Hoc facite in meam commemora-
tionem*, Luc. XXII. vel illo: *Bibite ex hoc omnes*,
Matth. XXVI. Non primo, quia ibi Christus tan-
tum urget realem et veram corporis sui sumptio-
nem tamquam necessariam quoad substantiam:
modum sumptionis non præscribit, quia nec
vini nec calicis mentionem facit. Potest autem
caro et sanguis Christi non minus sub una quam
sub utraque specie sumi, adeoque simul co-
medi et bibi. Ac licet utatur etiam verbo bibendi,
non tamen ideo requirit, ut per modum potus
etiam sumatur; siquidem in ss. litteris sæpe pro
eodem sumatur manducatio et potatio, ut Psalm.
LXVIII. *Dederunt in escam meam fel et in siti mea
potaverunt me aceto*. Ad hæc copula illa *et*, (dum
ait: *Et biberitis ejus sanguinem*) sæpe habet vim
disjunctivæ, vel Actor. III. *Argentum et aurum*
(id est, argentum vel aurum) *non est mihi*. Non
secundo, illo enim verbe: *Hoc facite in meam
commemorationem*, si quid imperatur, id totum
imperatur, ut sumatur eucharistia in commemo-
rationem: imo si quid circa modum sumendi
præcipitur, sola species panis præcipitur. Hoc
enim Christi verbum ponitur, Luc. XXII. et I.
Corinth. XI. (apud solum enim Lucam et apos-
tolum reperitur) post sumptionem panis tantum
et ante sumptionem calicis. Quod si apud apos-
tolum reperitur post sumptionem calicis, tamen
cum limitatione ponitur: *Hoc facite, quotiescum-
que biberitis in meam commemorationem*, q. d. quo-
ties sumere calicem volueritis; post panis vero
sumptionem, sine limitatione. Unde hoc Christi
verbum facit potius contra adversarios. Non
tertio, nam illud: *Bibite ex hoc omnes*, pertinet
tantum ad apostolos, qui soli erant præsentés
et cum Christo discubuerant, juxta id Luc. XXII.
Discubuit et duodecim apostoli cum eo. Patet ex eo,
quod Marcus ait: *Et biberunt ex eo omnes*, cap.
XIV. Qui omnes? Utique non nisi apostoli, quibus
hoc dictum erat, quique jam constituti fuerant
sacerdotes antequam illis calix daretur. Voluit
autem hoc loquendi modo indicare Christum, ut
ex eo calice omnes aliquid biberent, nemo solus
exhauriret; quemadmodum habet Lucas, cap.
XXII. ubi dixit: *Accipite et dividite inter vos*. Ad
hæc si quæcumque in ultima cœna dixit Chris-
tus, præceptum foret et ad omnes pertinerent,
præceptum foret et illud: *Et vos debetis alter alte-
rius lavare pedes*. Idem officium administrandi
eucharistiam pertineret ad feminas et parvulos.
Itaque nec verbum *manducate*, nec verbum *bibite*,

præceptum id continent, sed ritum tantum
conficiendi et sumendi apostolis, ut sacerdoti-
bus, præscribunt.

Vos ergo auditores: *Sinite*, hæreticos, *cæci sunt*,
et duces cæcorum. Et quemadmodum recte senti-
mus de Christo, cum dicimus esse Filium Dei;
ita etiam recte sentiamus de ipsius vicario, dica-
musque ipsum esse Ecclesiae caput in terris et
pastorem summum, qui infallibilem habeat as-
sistentiam Spiritus sancti ad Ecclesiam in fide
vera continendam, confirmandam et regendam.
Dicamus eum a Christo constitutum in sede
Petri; quæ instar petræ stabit, donec ponat ini-
micos suos, scabellum pedum suorum. Huic
nos adhæreamus, si veri pastoris veræ oves
esse volumus.

CONCIO VIII.

DOCUMENTA.

I. Impii conspirant cum opprimendus justus. — II.
Mira Christi bonitas. — III. Vera dilectio fidei debet
inniti. — IV. Sacræ Scripturæ magna utilitas. — V.
Digniora in proximo attendenda non viliora. — VI.
Impii suo tempore puniendi. — VII. Hæretici facile
convinci, sed non facile converti possunt.

THEMA.

Quid vobis videtur de Christo? Cujus filius est?
Matth. XXII.

Mysterium est, auditores, quod legimus Gen.
XXXII. Jacobum patriarcham, quia vinci in lucta
noluit, ab angelo tactum in femore, ut claudi-
candum ipsi esset. Significat enim hoc Judæos,
patriarchæ illius filios, quod Christo pertinaciter
restiterint, nec cedere ejus doctrinæ, nec credere
voluerint, in pœnam contumaciæ suæ perpetuæ
claudicatos circa fidem Christi. Id videre est
in hod. evang. ubi credunt quidem Christum
esse filium David, et hoc pede recte incedunt:
sed interim agnoscere nolunt eundem esse
etiam Filium Dei, et hoc pede claudicant. Unde
bene de ipsis dicitur Psal. XVII. *Filii alieni* (He-
bræi a me abalienati) *mentiti sunt mihi* (negantes
me esse Filium Dei, ut exponit Haimo), *filii
alieni inveterati sunt* (quia defecerunt et refrixe-
runt in majorum suorum fide et pietate) *et clau-
dicaverunt a semitis suis*. E contrario de nobis
Christianis e gentilismo ad fidem vocatis imme-
diate præmisit: *Populus quem non cognovi servivit
mihi, in auditu auris obedivit mihi*. Hoc ut verifice-
mus, auditores, audiamus doctrinam Domini
nostri et obediamus ei.

I. Videri possit alicui sterile nonnihil hod-
evangelium: sed si bene expendatur, fecundis-
simum reperierit. Imprimis enim videmus im-
pios, inter se alioquin discordes, conspirare in
unum, quando justus opprimendus est et veri-
tas. Scribit namque S. Matthæus, c. XXII. eo-
dem fere tempore accessisse ad Christum diver-
sarum sectarum homines, ut tentarent eum;
primo, Phariseorum discipulos cum Herodianis,
ut interrogarent eum, num liceret censum dare
Cæsari. Quos cum sapientissimo responso con-
fudisset Dominus, succedunt Sadducæi, qui ne-
gabant resurrectionem, ideoque ridiculam ei
quæstionem proponebant de uxore una, quæ
successive nupta erat septem fratribus, morte
immatura præventis, quærentes cujusnam e sep-
tem fratribus futura esset uxor in resurrectione.
Cum etiam istorum cæcum errorem pulcherrime
redarguisset, veniunt novissime Pharisei et le-
gis doctores, quasi triarii et invictissimi milites
cum quæstione, quam audivimus in hod. evange-
lio. Omnes istorum sectæ inter se dissidebant, et
mutuis se vulneribus cædebant: at nunc cum de
Christo capiendū agitur, omnes in unum conspi-
rant collimantque scopum. Refert Plinius, l. X. c.
LXXIV. corvo et vulpi naturales esse inimicitias,
quod hæc pullos ejus infestet: at ubi æsalon
parva avis catulos vulpeculæ vellit, corvos in
auxilium vulpis advolare et auxiliari velut ad-
versus communem hostem; siquidem parva illa
avis etiam corvi ovis insidiari solet. Hunc in
modum vulpes illa Herodes (sic enim appellatur
a Domino, Luc. XIII.) et corvus ille Pilatus, alio-
quin inter se dissidentes et mutæ jurisdictioni
insidiantes, inierunt amicitiam, cum adversus
parvam illam avem, Christum, qui eorum vitia
carpebat, pugnandum sibi arbitrabantur. Idem
faciunt canes. Cum domi de ossa inter se dimi-
cant et forte mendicus domum ingreditur, mox
composita pace unanimiter eum invadunt. Expe-
riuntur hoc multi justi, quos invadunt impii
pari studio et consensu, tametsi inter se alio-
quin discordes: experitur Ecclesia Christi, quam
simul et unanimiter vexant sæpe hæretici diver-
sorum dogmatum. Hi enim inter se licet mire
digladientur, ubi tamen in catholicos pugnan-
dum est, ibi vires et arma jungunt, imo sæpe
Turcam etiam in auxilium advocant; uti fecere
olim Ariani, qui et gentiles et Judæos concitare
in catholicos non cessarunt. Athenæ et Thebæ
inter se infestissimæ erant: sed cum Philippus
Macedo diu dissimulatum bellum Atheniensibus
inferret, Thebani facta societate eis se junxere,
metuentes, ne victis Atheniensibus, vicinum
belli incendium ad se transiret, Maiol. tom. III.

canic. coll. II. Cautè et prudenter isti; quos optarem ut sequeremur nos catholici, deponendo privata odia, et jungendo vires ad debellandos Ecclesiae hostes omnibus nobis communes.

II. Videmus Christi Domini miram bonitatem. Primo, in eo dum legis doctorem scientiam ejus tentanti, sincere et promptè respondit instar alicujus discipuli, qui interrogatus a magistro. Cum enim vidit Dominus posse quæstionem aliquam redundare in bonum interrogantis, respondere dignatus est etiam illudenti. Dolosus mercator erat iste legis doctor; venit enim cum statera suæ scientiæ, ut ponderaret Christi sapientiam, num in lege versatus esset, non ut ab eo disceret. Quare ipsi applicari potest, quod Ose. XII. dicitur: *Chanaan, in manu ejus statera dolosa, calumniam dilexit.* Chanaan mercatorem significat; talis erat doctor iste, fumos vendere volebat. Sed hac impostura nihil commotus Dominus pro fumo auream monetam reddit, et quæ salutis sunt, respondet; in exemplum nostrum, ne dolum dolo compensemus, cum spes est emendandi proximum; multo minus malum pro malo; ac ne delignemur respondere interrogati, ad ea quæ ad fidem et salutem nostram spectant, v. g. in catechesi, in pœnitentiæ tribunali, etc. quandoquidem etiam Christus respondit instar alicujus parvuli ad quæstionem catecheticam.

Secundo, in eo, quod (ut notat S. Chrysost. hom. XXIII. in ep. ad Rom.) proposito nobis expositoque magno illo præcepto dilectionis Dei, asserit huic simile esse præceptum dilectionis proximi. « Considera, inquit Chrysost. bonitatem Dei, qui cum ab homine infinite distet, velit tamen amorem hominis in hominem, tam esse vicinum ac similem amori illi, quo ipse se vult amari, ut eandem utriusque velit esse regulam et mensuram. Verum quemadmodum cum hic alicui bene volumus eumque alii cuidam familiari nostro quam commendatissimum cupimus, dicere solemus: Si me vis amare, hunc ama: (ita, inquit Chrysost.) hoc ipsum omnino voluit Dominus his verbis dicere: Secundum autem simile huic, q. d. si me amas, ama proximum tuum: » et Petro: *Si diligis me, pasce oves*; ex hoc enim cognosciam, an diligas me.

III. Videmus vel certe colligimus non qualem-cumque Dei dilectionem sufficere ad salutem, sed eam quæ innititur fidei tamquam basi et fundamento. Pharisei urgebant solam decalogi observationem; unde interrogant: *Quod est mandatum magnum in lege?* nihil de fide in Christum habenda solliciti. At vero Salvator noster ipsorum quæstioni de mandato magno, alteram

subjungit eisque proponit de fide in Messiam æque necessariam. Quemadmodum enim ignis noster elementaris inferior indiget fomento; superior ille et æthereus nequaquam: ita et charitas viæ seu vitæ hujus indiget fulero fidei et spei; charitas gloriæ minime. Errant igitur politici et Machiavellistæ, qui solos componunt mores ad nullius offensionem, fidem nihil curant; docentque satis esse bene et inculpate vivere, quomodocumque tandem credatur; quod etiam sentiebant olim philosophi gentiles. Ad hoc namque confutandum scite subjecit Dominus propositionem de fide in Christum, quæstioni charitatis, velut fundamentum illius. Fides est quasi materia et corpus hominis christiani, charitas velut forma et anima, opera bona velut pulsus cordis et arteriarum indicans vitam ejus. Ut ergo vita et anima hominis (non separata) supponit corpus hominis: ita charitas et opera bona supponunt fidem veram. Interroget proinde quilibet seipsum, (acatholicus videlicet): *Quid tibi videtur de Christo?* Quid de ejus divinitate, omnipotentia, veracitate? Quid de ejus humanitate et presentia in eucharistia? Putasne filium David dumtaxat et non Filium Dei? Nec posse sua omnipotentia mutare panem et vinum in corpus suum, qui universum hoc e nihilo potuit creare? Rursum quærat ex se catholicus, cum in peccatum vel tentationem aliquam incidit: *Quid tibi videtur de Christo?* Estne ille Deus, qui omnia tua acta videt? Estne tuus Dominus, cujus ut voluntatem facere teneris? Estne tuus iudex, qui te aliquando ad rationes citabit et pro merito tuo vel præmiabit vel damnabit? Et si talis est; quid est quod agis et machinaris in corde tuo?

IV. Videmus S. Scripturæ magnam esse utilitatem; inde enim manifeste ostendit Dominus suam divinitatem, convicitque Phariseos ex Davidico psalmo, ut ne verbum unum contra mutire possent: *Si David vocat eum Dominum suum, quomodo filius ejus est?* Erat sane Christus filius David secundum carnem; et idcirco vocat eum David suum; sed præterea erat Filius Dei quoque secundum divinitatem; ideoque appellat eum *Dominum*, non filium suum. Totum hoc Scriptura satis manifeste ostendisset Phariseis, nisi odio et livore cæcatos habuissent oculos. Ubi ergo malitiosa hæc et affectata ignorantia abest, tibi Sacra Scriptura manuducit nos ad intellectum omnium rerum, quæ ad salutem nostram spectant, quia ut apostol. II. Tim. III. ait: *Omnis Scriptura divinitus inspirata utilis est ad docendum* (sanam scilicet doctrinam), *ad arguendum* (hæreticos), *ad corripiendum* (peccatores), *ad erudiendum in justitia*, seu ad omnem morum honestatem, vitæque sanctimoniam. Est enim instar officinæ apothecariæ, quæ, omnis generis pharmacis ad quoscumque morbos depellendos instructa est. « Si quis laborat concupiscentia, inquit S. Basil. ep. I. ad Greg. Nazianz. et castitatis est cupidus, historiam Joseph assidue legat, ex ea discet et hauriet pudicitiae amorem et spiritum: si quis impatiens, patientiam desiderat, legat gesta Sancti Job: si quis fortitudinem cupit, legat acta Davidis: si quis mansuetudinem appetit, Mosen volvat et imitetur. » Idem suo modo præstat lectio aliorum spiritualium librorum. « Anno Dom. 1333. contigit, S. Columbinum semel redire domum circa prandii horam cum ore non modica: qui quod parata omnia non essent, statim ira commotus, cœpit cuncta domi evertere: ejus uxor, mulier prudens, honesta, ac ingenio præstans, prout poterat, eum placare conabatur supplex rogans ut patienter ferret moram, nec pro tantilla re sese ita cruciaret, ob oculos proponens sanctorum historias, ut in illis sese tantisper occuparet, dum instrueretur mensa. Tum ille magis magisque inde inflammatus, librum arripiens in mediam aulam projecit, uxori hæc verba objiciens: Nulla tibi alia cogitatio, quam de sanctorum legenda. His diebus cum nonnullis aliis verbis conscientia ita eum mordere cœpit, ut extemplo librum de terra collegerit ac revolvere cœperit. Incidit in historiam B. Mariæ Egyptiacæ peccatricis, quæ quamvis longa sit, ipsi tamen brevissima visa est: dum enim legeret, ita cor ejus leniebatur, ut a priore conditione mutatus plane recesserit: quæ enim prius pluris faciebat, ea contemptui habuit, terrenis non amplius inhiabat ut prius; liberalissimus in pauperes effectus, templa etiam frequentabat, orationibus rebusque divinis totum se postea impendebat. Insuper carnem affligere eamque spiritui subjectam reddere studebat, et ut multa paucis complectar, statim proposuit castam vivere vitam, vivisque rationibus uxori vitæ castimoniam persuadet, quæ licet adhuc juvenis, mariti tamen desiderio acquiescit. Tunc Columbinus ad ejus pedes provolutus, castitatem perpetuam Deo vovet. Inde vero non amplius in lecto, sed aliquando in scamno; nonnunquam humi dormire cœpit, potiorum etiam partem noctis in oratione consumens. Firme statuit Christum Dominum in paupertate sequi, et vere coram hominibus contemptui haberi. Hæc Paul. Morisius, I. de orig. relig. c. XXXVIII. apud Dauroit. c. VI. t. XXI. catech. hist. Scimus etiam S. Ignatium Loiolam in ægritudine constitutum, ex libri, qui sanctorum vi-

tas describit, lectione repente immutatum stauisse vitæ genus mutare, itaque militia relicta, pauperem vitam elegisse, et sacræ religionis cultorem atque institutorem evasisse: scimus S. Augustinum lectione epistolæ S. Pauli e Machæo catholicum, et quidem sanctissimum esse factum.

Observandum tamen S. Scripturæ lectionem non passim omnibus expedire propter obscuritatem. Unde Dominus in hodierno evangelio non quærit ex plebeiis intellectum psalmi, sed ex legisperitis et doctoribus. Et si isti non intellexerunt psalmum illum, quomodo vulgus intellexisset? Ex eo igitur, quod apostolus asserit, Scripturas divinitus inspiratas esse, colligit D. Chrysostomus eas profundos et divinos habere sensus, ac proinde non esse cuivis obvias et claras, sed arcana multa continere instar fluvii, cujus ex ima aquarum superficies tantum patet, sub qua interior ac longe major aquarum copia recondita latet: *In qua et agnus* (humilis) *natet, et elephas* (superbus) *mergatur*, inquit, S. Greg. epist. ad Leandr. præfat. in Job. Tametsi vero S. Scriptura appellatur *lucerna*, Psal. CXVIII. et II. Pet. I. non inde tamen conficitur esse omnibus clarum: lucerna enim est noctis lumen modicum et subobscurum, indiget suggestione olei, explicatione in loco patulo, ita Sacra Scriptura lumen est, sed subobscurum, eget pia ac docta explicatione, poni debet: *Super candelabrum publicæ ac infallibilis auctoritatis Ecclesiæ, non sub modio hominis privati*, ait S. Ambros. I. VII. in Luc.

V. Audimus Christum esse quidem filium David, sed non ita appellari a Davide patre, qui suppresso nomine filii, vocat eum Dominum suum; propter naturam scilicet ejus divinam, longe digniorem, quam esset humana, tracta a Davide. Decet enim ut de Christo honorificentissime semper loquamur, nec tam imperfectiorem humanæ naturæ, quam divinæ perfectionem in eo consideremus, uti facit Ecclesia, quæ non solet invocare eum, ut pro nobis interpellet Patrem (quod tamen secundum naturam humanam facere potest ac solet) sed ut ipse nostri misereatur, et det omne bonum nobis. Quod enim Deus est, ab æterno ex natura sua habet; quod vero homo est, in tempore misericorditer fieri dignatus est. Quare etiam nos, non quæ humilia et vitiosa sunt in proximis nostris, aspicere et commemorare debemus, sed quæ sunt magna et laude digna, vilia vero tegere. Illud odii et invidiæ, hoc charitatis opus est. Deliquit in hoc non parum invidus ille Saul, qui cum in Davide omnia præclara cerneret, nec haberet

unde eum culparet, e generis obscuritate materiam spernendi eum arripuit, appellando eum filium Isai, qui non ita pridem unus e populari turba vitam egerat rusticam et pastoritiam. Nihil humile in Davide repererat, virtutem et victorias cernebat: parentelam igitur carpit, in qua nihil erat eximium: non attendens, quod et ipse e simili stirpe prodiisset, et asinos secutus esset, I. Reg. XX. et IX. Rursum suum Jonathan appellat filium mulieris virum ultra rapientis, hoc est, meretricis. Non poterat ei ignobilitatem patris exprobrare, nisi seipsum vellet arguere; itaque sordes et turpitudinem matris objicit dicto, cap. XX. Hunc fere imitantur invidi et nequam alii homines, qui ut viros bonos sibi similes reddant, sordes eorum quærunt et in lucem protrahunt, flores vero tegunt.

VI. Audimus Christi hostes, impios videhæet, suo tempore puniendos, et quidem severissime. Ita enim ad Filium Deus Pater: *Sede a dextris meis, donec ponam inimicos tuos scabellum pedum tuorum*, q. d. quiesce hic a militia tua in gloria mea, donec subjicam tibi omnes inimicos tuos in die judicii. Subjecit ei jam dudum perfidos Judæos, interfectores suos, cum eos templo, urbe, patria, terra ejecit, et per orbem dispersit ut ubique essent exules, et omnium mancipia. Typus illorum Cain fuit, qui ob cædem fratris innocentissimi vagus et profugus fuit super terram. Idem ipsis contigit, quia: *Vox sanguinis fratris eorum (Christi) clamat ad Deum de terra*. Pulchre eis hoc prædixit David, Ps. LVIII. cum ait in persona Christi: *Deus ostendit mihi super inimicos meos. Ne occidas eos, nequando obliviscantur populi mei* (gentiles scilicet ad me conversi.) Quid ergo? *Disperge illos in virtute tua, et depone eos protector meus Domine*. Factum ut postulatum: dispersi sunt in gentes velut ollæ fragmenta, et depositi sunt e sede sua, positique in scabellum Christi et Christianorum. Subjecit ei paulo post etiam gentiles, tyrannos et persecutores ejus, quos fere omnes violenta et turpi nece sustulit, aut certe e regno deposuit, uti Diocletianum et Maximianum. Pauca hic videamus; nam pleraque alibi recensuimus. Magnus Christi inimicus fuit Valerianus imp. qui tantam in Christianos excitavit persecutionem, ut Dionysius Alexand. existimarit tunc impletam esse persecutionem antichristi, descriptam in Apocal. apud Baron. ann. 259. Verum paucos post annos deposuit eum Deus, et captivum subjecit regi Persarum, ut fieret ei scabellum pedum, in equum consensuro. Quodque magis mirandum, pressit eum sub hac servitute, quasi scabellum pedibus suis usque ad ejus obitum, supra annum vitæ sep-

tuagesimum. Neque enim Persa voluit eum dimittere; neque filius Gallienus patrem suum redimere. Insignis etiam Christi inimicus fuit Sejanus consul Romanus, qui Tiberio imp. niti Christum inter divos referre, obstilit (quamquam hoc Christo parum honorificum fuisset.) Hic ergo toto orbe celeberrimus cum alter quasi imperator haberetur et aureo curru in theatrum veheretur, sibi que tamquam deo res sacras fieri permetteret; repente litteris imperatoris depositus ducitur in vincula, capite mulcatur, ad gemonias scalas unco trahitur, triduo habitus ludibrio a populo, post in Tiberim projicitur, liberi ejus carnifici necandi, et imprimis filia (mirum auditu) eidem carnifici prius constupranda, traditi, Dion. l. LVIII. apud Baron. an. 34. Gentilibus exterminatis subjecit ei hæreticos tollendo unum post alterum et detrudendo sub scabellum, quandoque etiam turmatim integros eorum exercitus, quod testatur matutinum Parisiense S. Bartholomæi, quo durante Huguenotti sunt trucidati, interneccio rusticorum rebellium, Lutheri spiritu afflatorum, supra centum millia, in bello Schmalcaldico. Nec præterit impios catholicos, quia et ipsi Christi inimici sunt. Quis non audivit aliquid de vespere Sicilianis? « An. 1281. inquit Genebrardus, l. IV. chron. ex Æmilii l. VII. Siculi impatientes libidinis et insolentiæ militaris Gallorum, die paschæ ad pulsum campanarum convocantium ad vespere, omnes Gallos ad unum supra octo millia, cum uxoribus etiam gravidis, intra duarum horarum spatium contrucidarunt. Unde proverbium: *Vespere Sicilianæ*. » Hunc vel similem in modum subjicet Deus Pater Filio suo omnes alios hostes ejus, simulque subjectos et prostratos sistet in die judicii. Diu quidem expectat Dominus supplicium inimicorum suorum, sed moram tamen illam gravitate compensabit. Quid enim quæso significat poni scabellum pedum Christi? Quis hoc nobis explicabit? Meo judicio significat primo, detrudendos esse impios in locum omnium infimum, hoc est, in infernum, a cælo et luce remotissimum: secundo, in locum omnium fœtidissimum, quo omnes sordes et putores confluent ad torquendos illos: tertio, in locum contemptissimum maximeque infamem, ubi omnis generis nebulones vinculis prementur et quasi pedibus calcabuntur: quarto, in ergastulum perpetuum, ubi per omnem æternitatem prementur et comprimentur, ne emergere queant, immani illo pondere furoris divini seu implacabilis iracundiæ.

VII. Videmus hæreticos, quorum typum gere-

bant Sadducæi et Pharisei convinci argumentis posse, ut nihil amplius obloqui possint, converti tamen facile non posse. Obstruxit enim Christus sapientissimis suis responsis ora Herodianorum, Sadducæorum et Phariseorum, ita ut non possent ei respondere verbum, nec audent amplius interrogare eum; verum posthæc conversi sunt? Minime vero; quales venerant, tales abierunt: lapides ante et post pluviam, æque semper duri. Bene horum pertinaciam depinxit S. Judas in canonica sua epistola. Primo, appellat eos *sectatores Cain*, quia ut Cain increpitus a Deo non respuit, sed magis obduruit et a facie Dei fugit; ita etiam illi, ut videre erat in eorum primo parente Simone mago, qui objurgatus a S. Petro pejor factus est: secundo, *imitatores Balaami*; quia ut Balaam etiam post gravissimas Dei minas, rediit ad ingenium suum, et scandalum posuit Hebræis, ita hæretici vix dimoveri a proprio sensu possunt, et dimoti ad eundem redeunt: tertio, *sectatores Core*; quia ut Core leniter a Moyse correptus, arroganter respondit et monentem sprexit; ita et isti obstrepunt monitis salutaribus: quarto, *nubes sine aqua*, h. e. steriles, quæ nullam advehunt pluviam ad irriganda corda sua: quinto, *arbores autumnales, bis mortuas*, hoc est, eradicatas; a quibus nullus omnino sperari fructus potest: sexto, *fluctus feri maris*, qui nullo refrænari impetu possunt: septimo, *sidera errantia*, quæ inconstantes habent motus, ideoque erraticæ dicuntur; quales et hæretici, qui de uno errore in alium labuntur.

Sed quamobrem Pharisei videre noluerunt tam clarum Scripturæ de Christo testimonium? Propter odium in Christum; id enim est trabs in oculo et quid mirum si excæcat illum? Deponendum igitur odium, si Christum Dei Filium volumus videre. Confirmat hoc historia, quæ extat apud Tho. Campensem, et refertur a p. Rodriguez, p. I. exerc. tr. IV. c. XIV. « Sacerdos quidam, inquit, notæ sanctitatis vir et Thomæ hujus in eodem monasterio æqualis, proficiscens certo consilio ad aliud quoddam monasterium, offendit per viam sæcularem quemdam cui ex composito se adjunxit, familiariterque aliquamdiu cum eo collocutus, ad spiritualia demum colloquia digressus est. Hic ille: Committam tibi aliquid, pater, quod jam pridem mihi usu venit. Diu jam est, ex quo dum rei divinæ intersum, sacram hostiam sacerdote sacris operante videre non possum, ratus initio id vel ex distantia sacrificantis oriri, vel ex oculorum meorum imbecillitate; accessi ad eum propius, imo proxime, sed et hoc incassum. Et quidem

annus ex eo jam abiit. Animi anceps, totusque perplexus ac conturbatus in eam veni cogitationem, rei seriem ut ab ovo, confessario retererem. Feci; ille, ut erat prudens, quærere pro confessione incepit, nihilne lateret in mente abditum adversus quemquam inimicitia? Equidem inquit; et vero tam atroci injuria talis me affecit, ut nec jam quidem animus sit ipsi noxam, vel totius mundi pretio constituto, remittere. Insanis, inquit confessarius, mi amice: grave illud saxum de durissimo corde tuo remove; quod nisi facis, frustra es; nam et de salute æterna certissimo periclitaris et sub sacratissimis illis speciebus Christum servatorem tuum nunquam videbis. Hæc siquidem omnis, mali radix et causa. Gratia Dei fuit, ut vir ille sanctus confessarius meus adamantinum cor meum emolliret. Detestatus ergo crimen meum, accurata exomolgesi illud elui, Filii Dei, Christi Domini sacratissimo corpore me pavi, inimico, ex animo, illatam injuriam condonavi, ecclesiam ingressus missam audivi, Deum Dominumque meum toties, frustra ante hac intueri conatus, ineffabili animi lætitia vidi. Ob quod tam luculentum Dei in me beneficium, quoad vivam, gratiarum actiones referre nunquam intermittam. »

CONCIO IX.

MYSTERIA.

- I. Quid est diligere Deum ex toto corde, etc? — II. Quare diligendus ex toto corde? — III. Cur vult a nobis diligere Deum? — IV. Cur præceptum dilectionis primum et maximum? — V. Quomodo oportet diligere proximum sicut teipsum? — VI. Quare Phariseis proposuit Dominus quæstionem de Christo?

THEMA.

Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo, Matth. XXII.

Ezechieli ostendit aliquando Deus librum per visionem et dixit ei: *Fili hominis comede volumen istud*, hoc est, memoriæ commenda, rumina et perpende quidquid tibi per visionem quasi in libro ostendo. Notanda vox, auditores; non enim ait Dominus: *Comede partem voluminis*, vel aliquid de volumine isto, sed: *Comede volumen totum*, videlicet et quidquid in eo scriptum est, volumen quod a nobis comedi vult Deus, est liber evangeliorum, propterea namque illum toties nobis proponit in templo explanandum, ut ab omnibus capiatur et memoriæ mandetur. Neque satis nobis esse debet, si unam vel alte-